## CAPUT XXIV.

# DE LOCO COMETARUM

HÆc de causis Cometarum physicis dicta sunto; (de fine sub finem hujo disputationis agemus,) Quod adjuncta concernit, quatuor hæc potissimùm in definitione recensentur, np. *Locus, Tempus, Motus & Cauda.* Locus Cometarum est ætherea non suprema aëris, ut vetetes opinati sunt, regio, quod supra quidem satis evidenter, ut opinor, ex parallaxi demonstratum est. Quod si verò quis ob nimiam parallaxium subtilitatem & instrumentorum imperfectionem observationibus fidem derogare, & cum Claramontio locum Cometarum ex parallaxi deductum in dubium vocare vellet, aliâ quadam viâ velut ad oculum demonstrari potest, Cometas, si non supra, saltem prope aut proximè infra Lunam in eo mundi spacio consistere, quod ab omnibus vaporum & exhalationum terrestrium atomis etiam subtilissimis aereq; refractivo multis millibus milliarium germanicorum remotum, & propterea procul omni dubio ætheris quædam regio vel pars est. Nam suppositâ quam Ricciolus in Almagesto Tom. 1. l. 8. sect. 1. accuratè demonstrat aëris refractivi vel potiùs halituum crepusculinorum maximâ altitudine 24. milliarium germ. si Cometæ altiùs non ascenderent, sed intra Sphæram eorum & generarentur, & communi motu in orbem inibi moverentur, fieri non posset, partim ut illi, qui circa tropicum capricorni exoriuntur, unquam nobis apparerent, partim ut alii, qui sub æquatore visuntur, longiùs quàm ad summum duas horas quotidiè supra nostrum morarentur Horizontem. Nam in figura adjectâ sit B C Terra, A centrum ejus, NMD Circulus Cometæ depressioris, E K F Æquator, qui postea Cometæ altioris Circulum quoq; repræsentare potest, F A Linea verticalis, A E Horizon Astronomicus, C. K Horizon Physicus, A K distantia Cometæ altioris, A M distantia Cometæ humilioris &c. Cum igitur In Triangulo MAC rectangulo de-




tu s